

Q. D. B. V.
HISTORIA

INOCULATIONIS VARIOLARUM,

Son denen Umständen der neu-auff-
getommenen Blatter-Cur.

Subnexa Quæstione
problematica:

NUM INOCULATIO PRO VERO VARIOLARUM SVETARUM PROPHYLACTI- CO SIT ÆSTIMANDA ?

Quam
benevolo

INCLYTI PHILOSOPHORUM ORDINIS CONSENSU

In Academia Rostochiensi

publico Eruditorum examini exhibet

PRÆSES

GEORG. CHRISTOPH. DETHARDING,

Philos. Mag. & Medicin. Cand.

RESPONDENTE

JOH. GABRIEL. KINDLER,

Wism. Megapol.

Ad Diem XII. Septembr. A. M DCCXXII.

Loco Horisque consuetis.

R OSTOCHII,

Typis JOH. JACOB. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.

M. D. R. V.
HISTORIA

NOCTURNALIA
VARIORUM

Subjuncta Quæstione
Problemata

NOCTURNALIA
VERO VARIORUM
VETARUM PROPHYLACTICA
CONSTITUENDA

INCLYTICIS PHILOSOPHICIS ORDIBUS CONSENSU
In Nobilissimi Rostochiensis
publico Auditorio

PRESSES

GEORG. CHRISTOPH.
DE THARNDING

Philos. Mag. & Medicin. Cand.

JOH. GABRIEL KINDLER

Wilm. Medicin.
Ad Dium 27. Septembris. M. D. C. C. C. C. C.

ROSTOCHIA

1773

PROOEMIUM.



Um Physica tam prolixi sit ambitus, ut multis scientiis lucem affundat, ita imprimis Medicina tam arcto vinculo cum illa est conjuncta, ut vix ac ne vix quidem ab eadem separari possit, nisi alterutra pars mutila & imperfecta sit evasura. Probant hoc tot quaestiones & Problemata Physico-Medica, quae utriusque scientiae cultores angunt, & nisi auxiliatrices sibi invicem praebent manus, explicatu impossibilia permanent. Sunt nimirum, in quibus Physici acquiescere coguntur, sed quae Medici arripiunt & experimentis suis tam diu versant, donec fiant clariora & conceptu faciliora; quo referas *Sympathias, Antipathias, Idiosyncrasias, Influxum planetarum, Signaturas, Magnetismos, Amuletorum vires, vires Imaginationis &c.* quorum examini subjectum Medicinae animatum ac rationale valde succurrere deprehendimus. Imo de manu in manum quasi tradunt Physici Medicis ingeniosas suas commentationes de *Morborum aetiologiis*, quas hi ambabus excipiunt, & iuxta experientiae lance librant. Hinc quando Physici aetiologiam, quare Variolae sint morbus toti generi humano communis? quaerendam esse affirmant in *funiculo umbilicali*, in quo remanserit sanguis maternus, qui causa accedente occasionali reliquum sanguinem intrando, hunc in talem orgasmum concitet, ut despumet pustulas, quas Variolas vocamus: Medici jubent, omnem in funiculo illo reperiendum sanguinem circumspicte exprimere, num variolae arceri possint. Quando itidem alii Physicorum ajunt *seminium* quoddam *verminosum* variolarum causam proximam esse, hoc asserto Medicos commoverunt, ut denuo ad arcendas Variolas Mercurialibus & Anthelminticis illud destruere allaboraverint; ut taceam, quam nonnulli Physici *Lympham vitiosam* Variolas excitare autumantes Medicos alexerint, ut talem Lympham Purgantibus, Diureticis &c. eliminare seduli fuerint. De quibus, si volupe est plura nosse, consuli possunt JOH. FRANCISC. LOEW, Tractat. de *Variolis & Morbillis* Cap. VIII. it. JOH. BOHNII, Disput. de *Variolis haecenus in Patria grassatis*, ut & D. GEORG. WOLFG. WEDELII, Dissert. de *Praservatione variolarum*. Quemadmodum ergo Physica multis in rebus à Medicina desiderat informari, quid suae Meditationes valeant? sic & in Medicina

A

dicina

athol. spec.

30

mbi spec 29/14

dicina haud pauca observantur Phænomena, quorum examen & resolutionem Medici à Phycis iterum expectant, Quoties enim illi occupati sunt in Doctrina de *Crisi & Diebus Criticis*, de *Ætatibus hominum septenarium numerum respicientibus*, de *annis Climactericis &c.* toties itur ad Phycam, ut ætiologiam omnium horum subministret. Pariter si ratio desideratur à Phycis, quænam sit *causa mortis naturalis*? in quonam consistat *contagium*? unde oriantur *Medicamentorum, Thermarum, Acidularum operationes*? Phycam subministrare velle explicationem in aperto est.

Hæreo, annon huc referam Methodum recentissimam præservandi à Variolis, quam *Inoculationem* vocant. Præeunt nempe in operando Medici; sed quia ratio operationis ex negotio fermentationis est explicanda, quod ad Phycam pertinet, hujus scientiæ cultoribus incumbit determinare, an solida illa sit & fida habenda? Nec nullus dubito, quin Concordia illa mutua Medicinam inter & Phycam plures & Medicos & Phycos sit excitatura, qui se hic exercent. Nolo ἀσύνθετος esse, utpote quem binæ hæ scientiæ oblectant, sed quia negotium illud amplum tractatum vult, ideoque limites Disputationis academicæ facile superaret; unum hoc momentum tantum excutiendum jam mihi sumam; an *Inoculatio sit pro remedio prophylactico Variolarum sventarum habenda*? Præmittenda vero *Historia Operationis* erit, non modo qualem ocularis inspectio me in Anglia commorantem fideliter docuit, sed quam jam attulerunt, JACOBUS PYLARINUS, Consul Smirnenfis, & EMANUEL SIMONIUS, Constantinopolitanus, quorum Relationes *Transactionibus Philosophicis Societatis Regiæ Anglicanæ*, ut & *Ephemeridibus Academia Naturæ Curiosorum* fuere insertæ: D. ABRAHAMUS VATERUS, Professor Academiæ Wittebergenfis Celeberrimus in *Tractatu vom Blatter-Belzen* / quem ex latino idiomate in germanicam linguam se transtulisse refert. Mr. MAITLAND, in the *Account of Inoculating the Smal-pox*. London 1722. Dr. THOM. NETTLETON, in the *Account of the Success of Inoculating the Smal-pox*, in a Letter to Dr. WILLIAM WITHAKER, ibid. 1722. it. BENJAM. COLMANN, in the *Narrative of the Method and Success of Inoculating the Smal-pox, in New-England* ibid. 1722. impressa. Faxit

DEUS, ut omnia cedant in sui Nominis gloriam & Proximi emolumentum!

MEMBR.



MEMBR. I.

Exponit Historiam Inoculationis Variolarum.



Uod ad Originem Inventionemque *Ortus &*
hujus Inoculationis Variolarum *Progressus*
attinet, omnes Authores, qui hac *Inoculati-*
de re aliquid memoriæ prodide- *onis,*
runt, præeuntibus D. TIMONIO
&PYLARINO in hoc consentiunt,
esse illam derivandam ab Asiaticis
aliisque regiones orientales inhabitantibus Populis,
utpote quos inter hæc Methodus jam ante quadra-
ginta annos floruerit; Imo secundum sententiam Mr.
MAITLAND methodus illa variolas communicandi
ante aliquot secula innotuit & familiaris fuit; fortean
quod vel vulgo tantum arriserit, vel ex injuria istorum
temporum libris conscribendis non æque faventium
manserit posteris incognita; nec enim quicquam de
illa vetustissimi scriptores memorant. Quia tamen
vel maxime ante viginti circiter annos in Traciæ op-
pido,

vido, quod *Byzantium* olim dictum, cum Constantinus Imperator magnifice exstruxerit & muniverit *Constantinopolim* appellamus, inter gregarios invaluit, & denique optimatibus quoque arrisit; evenit ut Chirurgus quidam nomine *Maitland* natione Anglus, illam observaverit & edoctus, jussu Conjugis Legati Angliæ Byzantii tunc quidem commorantis, harum rerum curiosæ, illam Operationem in filiolo sexenni instituerit. Cum speratus eventus audaciam hanc, ac quidem talis videbatur esse hæc Operatio, juvaret, ac formidinem illam admittendi excuteret, idem Chirurgus ab Eadem jam in Anglia reduce postulabatur, ut modum inoculandi denuo in filiola susciperet. Visitabant illam inoculatam tres Medici eruditione clari, quorum unus felici successu, & quod inoculatio isthæc tanta promptitudine absolveretur, permotus, filiolum pariter Chirurgus huic tradebat inoculandum, modo quod subductionem sanguinis ad unicas quinque (plethoricus enim fuit,) præmitti jufferit. Quandoquidem & in hoc subjecto exoptatus fuit eventus nullaque inde emergere damna, novitium illud inventum in Anglia inauditum fama undique dissipavit, ut pervenerit quoque ad aures *Serenissimæ* PRINCIPIS DE WALES. Cum huic essent Liberi variolarum tyrannidi adhuc expositi, arrisit equidem inventum tale prophylacticum dictum, quod felix toties successus coroboraverat, nec multis periculosis circumstantiis erat stipatum; sed, qua valet rerum expetendarum, fugiendarumque scientia, noluit Eisdem ante Inoculationi submittere, quam crebrior adhuc experientia negotium hoc reddidisset magis fidum ac satis securum.

Præ-

Præcepit itaque sæpius laudato Chirurgo, ut incisionem Variolarum in aliis pluribus ante fusciperet, quam in Prohibus abhinc vellent instituendam, ipsique obtulit ex captivorum numero sex homines adultos, in quibus experimenta faceret. Meretur sane tanta pietas & historiae filum in super jubeat, ut paullo amplius fata horum hominum ab inoculatione memorem.

Nomina sunt

1.	<i>Mary North</i>	-	-	36	annorum
2.	<i>Anne Tompion</i>	-	-	25	-
3.	<i>Elizabeth Harrison</i>	-	19	-	-
4.	<i>John Cawthery</i>	-	25	-	-
5.	<i>Job. Allcock</i>	-	20	-	-
6.	<i>Richard Evans</i>	-	19	-	-

Incisiones fecit sæpius nominatus Chirurgus die nono Augusti anni præteriti, qui erat dies Mercurii, sub præsentia non modo Medicorum sed & Chirurgorum plurimorum, in utroque brachio & dextro crure.

Sequentibus diebus *Jovis* ac *Veneris* nulla Alteratio, somnus placidus, Appetitus vegetus, pulsus paululum celerior, sed omnes obambulavere.

Die *Sabbathi*, quia Incisiones non ita observarentur inflammatae, nec ad suppurationem solito more tenderent, & causa rejecta in materiam instillatam, quæ abhinc fortean langvidior, quod ante operationem per 16 horas in vase excepta stetisset, nova afferebatur materia purulenta, illaque novis factis incisionibus omnibus instillabatur, ultimo tamen

men ex defectu materiæ variolosæ instillandæ exulante.

Die *Solis* omnes conquerebantur de doloribus brachiorum ex obductione vulnerum oriundis. Incisiones ex inflammatione erant turgidæ, pulsus multo celerior, Urina turbida, nec tamen Variolarum vestigium quoddam.

Die *Lunæ* in singulis rubicundæ maculæ Phlogosis stipatæ, imprimis tamen in *Maria North & Anna Tompion*, in quarum Facie, Collo & Pectore maculæ plurimæ, nulli tamen dolores capitis, fitis, aut alii affectus sub Variolis cæteroquin familiares.

Die *Martis* Maculæ illæ quæ tempore matutino rubicundæ, versus noctem pallidiores, obscurioresque.

Die *Mercurii* ex Incisionibus materia spissa ac purulenta. In *Annæ Tompion* brachio dextro, item sub flexura femoris pustulæ binæ flavescens coloris, nonnullæ item circa mentum ejusdem. Itidem in facie & brachiis *Johannis Alcock* pustulæ plures febricula stipatæ: latior istis pustula flavi coloris in genu *Johannis Cawtheri*, sed quæ hujus faciem distinguebant, omnes diametri minoris.

Die *Jovis* in modo dicto *Alcock* plures pustulæ sed pulchræ, quia flavæ, rubicunda corona cinctæ, nec cæteroquin ægritudine quadam stipatæ, quæ

Die *Veneris* magis elevatæ ac circulo suo roseo adhuc cinctæ. Ex incisionibus omnibus materia purulenta.

Die *Sabbathi*, quando *Alcock* noctu omnes pustulas, quas attingere potuit, acu transfossit, citius hæ

hæ reliquis exsiccatæ decidebant, modo quod circulus rubeus restitaret, & materia ex incisionibus effluens diminueretur.

Die *Solis* ac *Lunæ* in his binis modo memoratis eadem; in reliquis quatuor fluxus materiæ spissæ, flavescens, ac quod ajunt puris bene cocti.

Die *Martis* & *Mercurii* nullum amplius pus. Incisiones evanuerunt.

Die *Jovis* binis *Viris* purgans quoddam propinatum: haud vero foeminis, quia obstabant menses, qui per longum temporis tractum suppressi redierant.

Die *Veneris* *Mariæ North* aqua frigida corpus abluenti gravissimi dolores colici, per biduum durantes.

Die *Sabbathi* tres istæ *Fœminæ* purgatæ, ac dolores colici in *Maria North* simul extincti. Insequente Die *Solis* *Viris*, altero autem i. e. die *Lunæ* foeminis denuo purgans datum, à quo bene se habentes hi captivi *Sexto Mensis Septembris* carcere dimissi.

Quod ergo hæc experimenta Inoculationis, nec alia æque per mortem fierent, quin plures hominum, qui se illi subiecerant salvi & sine gravi periculo evaderent, SERENISSIMA PRINCEPS suas pariter Filias serenissimas Chirurgus sæpius dicto *Maitland* commisit inoculandas, hac tamen lege, ut Regiæ Majestatis Archiater inclutus STEIGERDAHLIUS & operationi adesset, & quæ præterea salutis viderentur esse necessaria, pro sua doctrina & experientia afferret. Respondit & in his effectus Spei optatæ, ut *Ambæ* salvæ evaserint, quamvis *Una* illarum per aliquot tempus valetudinaria visa fuerit.

Non

Symptomata
sub In-
oculatione
familiaria.

Non adeo abluunt ab his aliorum Medicorum observationes sub inoculationis cura factæ, ac quæ ipse itidem observavi horum est decursus, ut quarto circiter à peracta operatione die Incisiones colorem induant rubicundum, & tumore quodam doloroso, ac solet ulcuscula insequi, molestæ sint. Post biduum hæc Inflammatio in suppurationem tendit, ac materiam quandam purulentam evomit, suppuratio tamen æque ac effluxus in nonnullis citior in nonnullis copiosior. Septimo die symptomata febrilia pulsu celeri, calore ac siti majori, doloribus capitis & Ventriculi, Urina turbida &c. stipata variolas mox prorupturas indicant; proruptis autem istis symptomata febrilia una cum effluxu materiæ purulentæ sensim cessat. Hæc tamen allata non uno eodemque modo in quovis Individuo contingunt, ut nulla circa ordinem modumque prorruptionis Variolarum observetur mutatio, quin varia occurrant phænomena modo dictis è diametro contraria, de quibus in subsequens.

Fata Inoculationis in Anglia.

Ac verò inventa nova, sive Physica fuerint sive Medica hoc simul secum ferunt, ut simulac nascuntur laudentur ab his, culpentur ab illis, habeantque cum *philantia, hyperbole, invidia, ignorantia, obreclatione, calumniis, malitia* omnibusque Hydræ capitibus certandum, quæ ut secentur nullum præter tempus remedium est; fata eadem sustinenda in Anglia habuit hæc inoculandi libido. Sub primis equidem, ut ita dixerim, incunabulis plurimi fuere spectatores, qui chirurgi illius audaciam aut temeritatem ab eventu notare voluerunt; sed tandem prodit Libellus sub Titulo:

The

The New Practice of Inoculating the Small-pox con- sider'd, and an humble Application to the approaching Par- liament for the Regulation of that dangerous Experiment; quo Author Tribunali Angliæ seu Parlamento demon- strare conatur, inoculationem omni jure pertinere ad experimenta periculo plena. Esse Magistratus, inquit, de Salute & sanitate populi prospicere, nec permittere vel Medico vel Chirurgo, ut hi frivole sæviant in corpora homi- num, experiundi ergo, quid speculationes vel lusus ingenii valeant? Medicum vero & chirurgum, qui absque permisso Superiorum facinora isthæc patraverit, in crimen homicidii ve- nire; aut ergo omnino supprimendam esse inoculandi pruri- ginem, quia legibus haud conformis; aut si ex parte saltem criminosa, limitandam tamen à Magistratu esse, & ex ordine Medicorum, qui contravenerint, graviter puniendos: omnium maxime, quos titulus Medici & sola audacia ad talia experi- menta armet, quales vero sint Inoculatores isti. Institui hanc Methodum imprimis in infantibus bimulis aut trimulis, qui nec assentiri nec dissentire potis sint, crudelitati ergo operantium ex frivola Parentum vel Tutorum voluntate tradi, quam si possent, declinarent, nec vero jus necis posse à Magistratu illis concedi. Quid! esse methodum illam subtilissimum modum hære- ditate aut divitiis potiundi, si quando hæc ab infante vel pupillo immineant; Magistratus ergo esse certis ab Authore propositis legibus hanc inoculationem limitare. Et, ex quo fervorem & arma hujus Viri intelligas, sibi persuasissi- mum esse, asserit, si Lex feratur, patibulandum esse Ope- ratorem, cujus inoculationem sinister effectus insequatur, quamvis nolit talem pœnam illis infligendam, facile tamen omnes omissuros fore hanc methodum, quia nondum de firmo ac certo, bene vero de dubio successu sint persuasi ac tot ex- perimentis infaustris convicti. Perquam multos homines, addit,

B

ad

ad senium pervenire, nec experiri variolas; multa millia mortalium ex aliis morbis ante diem supremum obire, quam variolis corripiantur; haud numerandum esse numerum illorum, qui feliciter variolas superaverint; multos econtra Inoculatorum occubuisse, licet experientissimi Medici & Chirurghi valde habiles adstiterint. Computat porro centum homines variolis sive laborantes, centum itidem inoculatos, & quod unus tantum ex illis perierit, ex his vero tres occubuerint, observatum esse refert. Nolo prolixus esse in recensendis argumentis plurimis, quibus Author in eo est, ut evincat, operationem istam *juri naturæ & divino* contrariam esse. Quale Responsum & quam sententiam Parlamentum hac de re tulerit? comperire nondum potui. Haud tamen inficias ire possum, jamdum & alios de methodo illa minus dextre sensisse, imprimis quia inter alia exempla mors filii illustrissimi COMITIS DE SUNDERLAND, quem inoculatum variolæ confluentes abstulerunt, pondus illorum scrupulis addiderat.

Fata Inoculationis in Nova Angliæ.

Sed benigniora hæc sunt Inoculationis fata, ac quæ habuit sustinenda in *Nova Anglia* Medicus Bostoniensis D. BOYLSTON. Fama Operationis hujus hunc commoverat, ut illi infisteret, sed quamvis prima experimenta in binis mancipiis & filiolo sexenni felici successu faceret, nec tamen impedire potuit, quin omnes cives illum convitiis proscinderent. Accesserunt & tumultum reddiderunt insolentiorum Medici socii, typis divulgando esse inoculationem salutis generis humani e diametro contrariam; in ordine illorum Medicus natione Gallus sancte jurare voluit, se observasse ante viginti quinque annos tredecim milites in castris Gallorum inoculatos, quo-

quorum quatuor diem obierint supremum, sex tantum, nec citra multas molestias, evaserint, tres nullum effectum inde experti sint; item, se nosse binos Russos inoculatos, quorum unus pristinae sanitati sit restitutus, alter autem elapsis sex septimanis vitam cum morte commutaverit, corpore ipsius post mortem prætumido & pulmonibus exulceratis repertis: Præfectum in Flandria ante viginti circiter annos variolis correptum curæ ipsius se commisisse, qui olim sexies fuerit inoculatus absque ullo effectu varioloso: sed ulcus in brachio omnem consolidationem negans reportasse. Scripto hoc furor populi crevit, adeo, ut memoratus Medicus haud tutus potuerit obambulare per plateas; ex vicinorum numero fuere qui illum criminis capitalis incusabant, imo Magistratus omnem operationem serio interdicebat. Auxit has seditiones aliud *Scriptum Anonymi*, qui materiam variolosam veneni instar agere voluit, & quandoquidem insimul quæstionem proponeret, *annon satis esset se totum committere directioni & voluntati divinæ expectando justum Variolarum tempus, quam incertæ & dubiæ inventioni alicujus hominis se dare?* sex ex ordine Theologorum huic quæstioni publice respondendo, pro inoculatione admittenda facerent & starent, hos idem furor populi invasit & exercuit, ut vix intra domesticos cancellos essent ab insultibus liberi. Favebant denique Medico huic Primores Civitatis & Inoculationi subscribebant, sed nondum plebs vulgusque volebat consentire vel remittere de calumniis, aut turbis, quas excitaverat. Quæ tamen erat Medico tolerantia & fiducia de certitudine hujus operationis, suffultus interim Theologorum modo allatorum auctori-

thoritate, continuabat hanc ceptam Inoculandi telam tanto cum successu, ut in fine Mensis Septembris ultra octoginta fuerint inoculati, ex quorum numero unus modo ante Inoculationem jamdum per contagium infectus e vita discessit. Cum vero reclamaret populus, omnes aut fane plurimos horum fat male se habere, nec sanitati esse restitutos, Medicus autem relationem fide dignam typis publico communicaret, sensim sensimque remisit furor populi, crevit vero numerus inoculatorum, ut medio Decembris jam ultra ducentos & quinquaginta ascenderit, ex quo, cum non nisi quatuor occubuerint, experientia tandem optimus fuit iudex. Hinc etiam ex numero contradicentium se nonnulli inoculationi submiterunt, aut certe non inviti illam admiserunt, sicque Inoculatio & in hac Provincia triumphavit.

*Methodus
Inoculan-
di.*

Accedimus ad Methodum, qua Variolæ excitari solent, & majoris perspicuitatis ergo consideramus, quæ ante Operationem, sub Operatione ac post Operationem animadverti debent.

Ante Operationem Corpus lenioribus purgantibus aliquoties repetitis & imprimis ex Rhabarbaro desumptis, imo ratione circumstantiarum Emeticis ab Impuritatibus liberatur. Quod si subjectum Inoculandum plethorica gaudeat constitutione, ad orgasmum sanguinis evitandum, quædam ipsius portio per Venæsectionem extrahi solet.

A Præparatione inoculandorum præmissa, tertio vel quarto die, quos inter vires rediere, negotium suscipitur. Colligitur pus variolosum ex variolis hominis juvenis, quem discretæ vexant; hæc, quando

quando ad maturitatem pervenere, lanceola vulne-
rantur, quo stillent pus contentum in vas vitreum
leniter calefactum. Hoc vitro, id quod in finu ab-
sconditur ne frigescat, advolat Operator, binis locis
mediante lanceola cutim Inoculandi vulnerat: si-
ve in binis brachiis, five in uno saltem & in
pede oppositi lateris, hisve vulneribus binas vel tres
guttulas allatae materiae variolosae instillat, & locum
incisum emplastro, Diachylo dicto aut alio obtegit.
Incisiones fiunt ad $\frac{3}{4}$ longitudinis pollicis in adultis:
in infantibus vero non ad longitudinem illam pro-
trahuntur. Siveverunt olim facere aperturas cutis
non quidem lanceola, sed acu tricuspidali, item ad pus
variolosum cum sanguine certius commiscendum
stylo obtusiori vel auriscalpio urgebatur puris in-
gressus: ast, quia inde dolores majores, elevanda
enim & separanda cutis erat, tum quoque protrusio
haec sit supervacanea, cum experientia docuerit
compressulam pure varioloso tinctam ac vulnuscu-
lis impositam eundem induxisse effectum, imo so-
lam attritionem fuisse sufficientem, acquiescunt
hodie Operatores in memorata methodo, & abhinc
inoculatum, nisi speciales circumstantiae aliter ju-
beant, sibi relinquunt, citra quod medicamenta
propinentur; modo quod vitare jubeant aërem fri-
gidum; nec observavi, quod carnes vel juscula il-
lis interdixerint.

Superatis Variolis bis vel ter corpus purgare, ac, si
necessitas urgeat, Venæsectionem svadere Medici solent.
Ad maculas autem delendas, aliaque symptomata
avertenda, sveta in aliis Variolis adhibetur medendi
Methodus.

De *Tempore* eligendo, ut hæc inoculatio fiat, conveniunt omnes Scriptores, quod idem fit eligendum, ac quo ceteroquin Variolæ solent esse minus malignæ, imprimis *vernum* præferunt *autumnali*; sed tamen & hoc *æstivo* ac *hyemali*: ac judicant, moderatam aëris temperiem huic quoque operationi admodum favere. Est inde quod in Vere hujus anni plurimas in Anglia inoculationes cum felici successu susceptas fuisse observaverim.

Effectus Inoculationis,

Quod jam *Effectum Infectionis* hujus paradoxæ ac *Phænomena* ejus sive spectat, quæ sub illa & ab illa observata sunt: vulnusculum inflictum, si omnia rite procedant, prævia inflammatione pus fundit quinto circiter die, variolæ vero septimo vel nono die prorumpunt, undecimo autem aut ad summum decimo tertio die exsiccatæ cadunt. Quocirca notabile est, quod, quo major puris ex ulcere profluentis copia, eo pauciores, infimul quoque benignæ magis sint expectandæ variolæ; id quod Operatores tribuere volunt effluxui copiosiori materiæ variolosæ, quæ, si in corpore remaneret, necessario plures pustulas gigneret. Numerus variolarum abhinc prodeuntium prouti exiguus est, & ad decimum solet pertingere, ita vigesimum aut trigesimum raro superare solet.

Eventus Inoculationis,

Nec tamen, quæ modo recensui ita sunt comparata, ut omnibus & singulis individuis uno modo evenerint, quin ab illa regula multas observaverim & scriptores annotaverint, exceptiones. Dantur, in quibus operatio hæc incassum instituitur, & citra quod pustulæ exinde ortæ sint; in nonnullis loco pustularum variolosarum alius generis tubercula pro-

ve-

veniunt; e contra non defunt observationes contrario more variolas in maxima quantitate prorupuisse, ut ultra quadringentas, sexcentas, octingentas, imo mille illarum cutem deformaverint, non citra formidinem funesti exitus, imo quod degeneraverint in confluentes & mortem intulerint. Quod si loco Variolarum bubones surgant, quod itidem aliquando obtinet, hi plerumque abeunt in ulcera mali moris & curatu perquam difficilia. Nec semper causa discriminis rejici potest in qualitatem noxiam, paucitatem materiæ variolosæ, quæ instillatur. Nam, quod constat, in Nosocomio quodam Londinensi, inoculatio fuit instituta in persona quadam, quæ variolis ante annos aliquot copiosissime fuit obsita, id quod ex foveis adhuc in cute residuis colligi potuit, quamvis materia variolosa ex variolis optimæ indolis fuerit collecta, hæc maximam denuo quantitatem variolarum genuit; & de Altero inoculatorum captivorum, cui nomen *Alcock*, referunt annales, quamvis ex defectu materiæ variolosæ una modo incisio facta, & parum illi instillatum fuerit, longe plures fociis suis variolas obtinuisse; imo ab eadem materia variolosa ex boni moris variolis collecta sed instillata diversis individuis, nunc discretas, nunc confluentes, nunc purpureas variolas prognatas esse Acta Medicorum probant, ut frustra cinusetur contagium.

MEM.

MEMBR. II.

Sistit Quæstionem Problematicam :

*Num Inoculatio pro vero Variolarum
svetarum Prophylactico sit habenda?*

Explicata Historia Inoculationis, adjuncto modo operandi, atque notatu effectu, qui illam quam plurimum insequitur, ad quæstionem problematicam proponendam me accingo, quam addere placuit, & in Rubro hujus Dissertationis promisi. Mitto omnes alias scrutinio æque dignas quæstiones, an memorata Inoculatio *sacris litteris, conscientie, juri nature, obedientie erga Magistratum &c.* sit contraria; præter enim quod ab aliis non modo motæ, sed etiam decisæ in tantum sint, ad Physicum forum non spectant, nec ex hoc solvi poterunt. Quam vero ventilandam mihi fumo, hæc a nemine, quod noverim, speciali scrutinio dignata est, id quod tamen, si vel alia, quam maxime meretur. Fac enim esse Inoculationem remedium verum ac fidum prophylacticum morbi tanta crudelitate in homines sævientis, ac Variolæ sunt, ut si non semper vitam, valetudinem tamen, organa sensuum, formositatem perquam frequenter auferat, aut valde prægravet: qualis methodus posset esse amabilior, quam brevi & minus doloroso artificio se suosque subtrahere tyrannidi isti, quæ ut omni prophylaxi, sic etiam huic, quam regnante Peste svadent:

cito, longe, tarde, cede, recede, veni.

esset

esset præferenda? At, si pro tali remedio Inoculatio non haberi possit vel commendari, grave & absonum foret, se suosque operationi cuidam subicere à qua præter gloriam novitatis & obsequii nihil salutis foret vel præfidiæ expectandum.

Prouti autem in omni examine problematis quivis firmiore incedere potest talo, si rationes & affirmativas & negativas provide perscrutetur, hæve cum illis trutinetur, & tandem firmiores validioresque, debilioribus neglectis amplectatur; sic & in hoc scrutinio perlustrabimus argumenta tam illa, quæ inoculationem tanquam remedium, quo variolæ imminentes certo arceri possint, videntur omnibus commendare: quam ea, quæ è contrario ex classe remedium præservantium illam volunt excludendam & removendam.

Non leve vero argumentum est, Inoculationem habendam esse pro præservativo variolarum, si consideremus, *excitari illius beneficio latentem in corpore variolarum fomitem, tanta vero circumspectione, ut, quamvis abhinc sanguini commisceatur, haud tamen, qua alias solet, violentia vel tantis insultibus æconomiam vitalem turbet aut lædat.* Alienum à scopo præsentis foret, si vellem indagare naturam fomitis variolosi, quem volunt consistere in semine quodam verminoso, vitiosa ac corrupta sanguinis constitutione, in sanguine materno corpori adhucdum inexistente, in hæreditaria quadam dispositione &c. sufficiat, in hoc convenire tanquam in centro omnes fere Medicorum opiniones, adesse aliquid peregrini in corporis tubulis, quod non abludat ab indole alicujus fermenti; hinc si in actum evoluatur, agat itidem ad modum

Argumenta

ta que pro

Inoculatione

faciunt

ut prophylactico.

Rat. I.

C

alio-

aliorum fermentorum. Dum quippe Fermentatio est motus intestinus particularum heterogeniarum longa interagitazione pugnantium, donec ferocia seposita, removendis remotis, jungendis conjunctis in pacem & mutuum complexum abeant: non adeo differunt phœnomena in variolosis à motu tali intestino, quia sentiunt calorem in corpore, qui testis est concitati magis motus intestini sanguinis; surgunt hinc inde in cute illorum efflorescentiæ, quæ comparari possunt cum spuma, quam liquores fermentantes evomunt; illis magno aut sufficienti numero excussis remittit motus intestinus, æque ac liquores à fermentatione cessant quisquiliis separatis & exclusis. Quod si præterea attenderimus, quam difficiles iterum ad novam fermentationem subeundam illi sint liquores, qui semel illam experti sunt, ut ad minimum novus denuo stimulus requiratur, sive novum fermentum quod pugnas & luctas particularum contentarum concitet; facile liquet, quare rariores sint casus hominum, qui bis vel ter variolis corripiantur, ut persuasissimus sim, si calculum instituere vellem, inter mille variolantes vix decem fore, qui plus semel cum hoc morbo conflictari habeant. Applicari hæc ad præsentem quæstionem poterunt. Latitat quippe materia, aut, si mavis mater variolarum prorumpentium in corpore, ac causam occasionalem expectat ut sanguini immisceatur; Inoculatio hic subvenit ac novit illi similem sanguini communicare, quâ illa prolecta itidem sanguinem intrat & huic commiscetur, surgunt ergo efflorescentiæ eadem variolosæ, crescunt in pustulas, suppurascent, & maturæ cadunt, hinc corpus fit ab illa liberum,

berum,

berum, liberum ergo à metu futuri insultus, liberum à confectariis hos insultus stipantibus, liberum à noxis vitæ aut valetudini insidiosis, verbo: liberum à futuris variolis & metu vacuum.

Roborat admodum, quod modo protuli, argumentum, examen variolosorum, qui occasione Inoculationis in morbum & affectum hunc inciderunt, vel rectius, queis materia ab extus instillata variolas induxit. Mille Inoculatorum, imo horum millia jam dantur, qui Variolas haud iterum experti sunt sed nec ego, quod affirmare possum novi aliquem illorum denuo variolarum insultibus fuisse obnoxium. Notius nil magis est, ac plus semel hominem v. g. Scabie, Petechiis, Lue gallica &c. laborare, si quando cum aliis infectis sibi sit commercium familiare, quod de novo communicatur virus activæ indolis ac virtute naturæ excludendum, & nunquam non dispositio humorum manet talis, cui se insinuaré illud valeat, inque sui indolem rapere, ut, quod Medici agunt, gignat in corpore infecto sui simile: sed de variolis per inoculationem excitatis hoc valde singulare habendum est, quod denuo variolæ inoculatos non corripiant, quamvis inter variolosos alios versentur, hos attingant, his accumbant & ministrent. Haud ergo fallere potuit experimentum Chirurgi *Maitland*, cujus frequens mentio in historia præmissa facta fuit, quando in tractatu supra citato refert, ex suo jussu scæminam ex numero illarum captivarum, quæ inoculatæ fuere, curam gessisse pueris variolosi, unum cum hoc intrasse lectum, & sibi habuisse commendatissimum; citra quod denuo vel vestigium variolarum in corpore suo observaverit.

Sed etiamsi aliquando historiæ contrarium

C 2

vellent

Rat. 2.

Rat. 3.

vellent evincere, esse inoculatos & hinc variolantes de-
nuo variolis correptos, quod vero nondum experientia
hoc docuerit, hoc tribuendum esse inoculationis infan-
tiæ & ineunti ætati, quod non adeo per multos annos à
Viris experientissimis fuerit in actum deducta, nesciri
ergo posse, quid futura ætas sit relatura, nil inde
prophylaxi detrahi poterit. Quam enim speciosa vi-
deatur hæc objectio, non magis inde concludere aut
inferre licebit, quam inter rariora & exceptiones à
regula recidivas istas fore collocandas. Nemini igno-
tum esse poterit, quod Parentes infantibus suis, pu-
erisve, qui semel variolarum insultus experti sunt,
citra tot scrupulos & citra metum recidivarum con-
cedant conversari cum variolosis, communi frui vi-
ctu, lectulo eodem condormire, quamvis non defint
exempla, quod abhinc illos inter iterum à variolis
sint correpti & probe defatigati. Raritas horundem
metum novæ invasionis tollit, nec infringit inde
natum proverbium Germanorum: *Man habe schon
gepockt und gemasert.* Pari ergo jure, quod de va-
riolis sponte enascentibus valet, de artificialibus his
erit pronuntiandum, semel inoculatos à variolis esse
liberos, Inoculationem ergo inter prophylactica va-
riolarum esse reponendam.

Rat. 4.

Accedit tandem quarto & pro Prophylaxi per
Inoculationem pugnat, si vel maxime non omnino
variolas arcere valeat hoc artificium, valeat tamen
in tantum, *in quantum copię variolosæ detrahit, quæ
certo certius foret gravis, dum ab illa maximi insul-
tus & sevissima symptomata provenire possent.* Quod
si Medicorum scholas consulere velim, magnum
reperio Catalogum remediorum prophylacticorum,
à quibus

à quibus illæ falva veritate, non omnem exspectare
possunt præservationem, aliquam tamen, eamque
non injucundam sibi alii sive promittere solent. Uni-
cum novi Doctorem DIDERICI, Medicum Hambur-
gensis b. m. qui de præservativo suo antipestilen-
tiali, quod fidum sit, adeo fuit persuasus, ut hæc ver-
ba addiderit: *Er wolle sein Leben darstellen / daß der
Leib zu den Verstorbeneu eingegraben / und der Kopf
oben der Erde mit einem Brette Ihm abgestossen wer-
de. vid. ejus Anhang zur Nachricht vom Gebrauch
der Medicinen pag 32., si prophylaxis isthæc fallat.*
Quod reliquos & quidem peritones attinet, parum
abest, quin omnes subscribant BOHNII effato, qui
in Disputat. de Prophylaxi Pestis dubia §. 10. asserit;
*vix satis fidas esse cunctas Medicorum Observationes,
qui remedia præservatoria tantis encomiis commendant.*
Quandoquidem ergo reliqua media prophyla-
ctica haud tuentur titulum hunc, ut omnino mor-
bosos ex contagio exspectandos insultus arceant, ni-
mis rigidus videretur Censor, qui Inoculationem e
classe prophylacticorum remediorum tolleret, quod
unus alterve ab illa admissa nihilominus denuo vari-
olas habeat infensas. Sufficere omnes fatebuntur, si
quando Inoculati, etiam si abhinc a variolis corrip-
antur, non tam graviter nec tantis ærumnis infesten-
tur, & ex hoc beneficio Inoculationem habendam
esse pro Prophylactico consentient.

Hæc sunt potiora argumenta, quibus ut statu-
minibus firmari videtur assertio, Inoculationem esse
tanquam remedium contra Variolas admittendum,
quod harum tyrannidem aut omnino arceat, aut fal-
tem infringat & non parum moderet: ex quo porro
inferre

inferre liceat, continuandam illam esse & pluribus populis commendandam.

Argumenta qua Inoculationem ut prophylacticum impugnant.

Audiamus jam alteram partem, quæ non adeo propitia videri possit, cum itidem sint ipsi argumenta ab experientia & ratione desumpta, quæ negent Inoculationem tam honorifico titulo prophylactici remedii esse condecorandam, vel abhinc amplectendam, aut propagandam.

Rat. I.

In acie stat argumentatio a natura remedii prophylactici desumpta, utpote cujus sit, non inferre & afferre morbum, sed tueri corpus a morbo, cujus arguitur esse prophylacticum. Consulamus commentarios Medicorum, quid intelligant sub Vocabulo Præservationis? & præunte GORRÆO reperiemus, *præservationis esse, tueri sanitatem & providere, humores lentos incidendo, calidos refrigerando, frigidus calefaciendo, mordaces contemperando, ne morbum gignant.* Celeb. BRUNO in *Lexic. Medic.* præservationem definit *hanc Medici functionem, qua prohibetur aliquid, ne fiat.* GALEN. 2. *aphorism.* 22. *prophylacticam vocari artem monet, quæ a morbo præservat.* HELMONTIUS *Præservationem appellat futuri præcautionem, hinc præservativa remedia, quæ vitam a suis inimicis & corruptionibus defendant.* Stante hoc principio, quam non hallucinari recentiores quis dixerit, qui Inoculationem reponunt inter Variolarum remedia prophylactica, quandoquidem illa variolæ latentes, imo silentes excitantur & stimulantur, ut per corpus se diffundant & inoculatos corripiant. Imo perdit ex mente horum Inoculatio titulum prophylactici, si pustulæ illæ non insequantur operationem factam, ut denuo ac iterum sit in tali individuo instituenda.

Nemo

Nemo consentiet, scabiem scabici esse prophylacticum, ut svadeat, qui immunes esse volunt, scabiosi contrectare manus, huic in uno lecto accumbere, illius chirothecis manus suas tegere; nec tantæ quis foret audaciæ, ut materiam bubonis pestilentialis sub specie prophylaxeos vel instillet bene valentibus, vel sibi recte valenti instillari permittat. Itidem ergo de Inoculatione erit pronunciandum, hanc in numerum prophylacticorum minus juste reponi.

Quod si præterea fata horum perpendamus; qui lacerationem cutis aut permiserunt, aut inviti sustinuerunt, ut a variolis essent liberi; longe minus nomen prophylactici poterit Inoculationi concedi. Ex Historia præmissa intelligere est, quam diversus fuerit successus operationis istius, dum in aliis omnis inde exulaverit desiderata exclusio variolarum, si vel sexies fuerint inoculati: in aliis tanta copia pustulæ cutem obsederint, qualem a variolis sibi relictis vix habuissent expectandam: in nonnullis loco hujus, quod variolæ debuissent surgere, alieni & mali moris ulcuscula cutem defœdaverint; & quod hæc mala omnia superat, inoculatorum non pauci inde diem supremum ante diem suum obierint. Hæcque omnia ita esse comparata, ut Operator isthæc nec præcavere, nec avertere valeat. Quale jam prophylacticum foret, a quo si vel maxime in uno vel altero aliquod commodum foret expectandum in morbo qui illum correpturus sit, si ex illo plures longe pejus habeant, aut saltem metuere debeant? Hoc esset studio in Scillam se aliosve præcipitare, modo Charybdis vitetur.

Rat. 2.

Vel

Rat. 3.

Vel ipsa vero Inoculatio sibi ipsi obstat, quo minus titulo prophylactici variolacei coruscare possit, quando tantum abest, ut arceat variolas, ut potius fere toties, quoties instituitur, denuo variolas gignat & procreet. Confirmant hoc passim exempla inoculatorum, quorum mentio in historia præmissa facta est, imprimis elucescit ex Observationibus captivorum, quos ex mandato principali elegit Chirurgus *Maitland*. Adultam jam ætatem attigerant omnes ut nullum dubium remaneat, se in ætate infantili, cui variolæ siveverunt esse fatales, ab his fuisse correptos, hinc ex ordinario variolarum more has non amplius per omnem vitam habuisse expectandas; aut, si quis morosior in consentiendo hoc supposito fuerit, plures saltem illorum ut adultos fuisse citra operationem admissam liberos à morbo illo existituros concesserit; nihilominus tamen omnes & singuli ab inoculatione redditi sunt variolosi. Triste ergo prophylacticum dicendum erit, quod homines à morbo futuros immunes in morbum prosternit & præcipitat, quem fugare debeat.

Rat. 4.

Sed si vel inoculati fuerint à variolis per omnem vitam liberi, haud tamen indubitatum prophylacticum esse Inoculationem evinci poterit, quando tot homines ad summam ætatem perveniunt, nec à variolis unquam infestantur. Quando *Celeb. D. WEDELIUS* in *Disputat. de Præservatione Variolarum Jenæ 1711.* habita non subscribere voluit experientiæ Chymici cujusdam, qui emeticum ætati conforme recens natis propinavit, ut immunes essent à variolis, & Vir quidam magnificus hujusque conjux af-
firma-

firmarunt, experimentum in puella recens nata optime evenisse, quod hæc variolis non sit correpta, quia multi immunes à variolis moriantur, nemo finistre interpretabitur, quando ex allata ratione inoculatio minus iuste dicatur remedium prophylacticum.

Haud difficile foret plura & hujus generis, & eorum, quæ partes Inoculationis tenere videntur argumenta in medium proferre, sed sufficiat illorum potiora adduxisse reliquis aliorum, qui ingenio & iudicio me superant examini & censuræ impræsentiarum relictis; penes hos quoque sit eligere, cui opinionum allatarum majori fiducia sit subscribendum. Cedendum & hic majoribus esse ultro largior, quos longus rerum usus fecit experientissimos, & cænitie venerandos. Arguerem, quantum ergo concipere valeo, nondum posse Inoculationem pro *Prophylactico*, certe non *fido* æstimari, quandoquidem successus adeo diversi ab illa hæctenus observantur, & quamvis ego non observaverim nec auditu percepim quendam inoculatorum incidisse in variolas, nec tamen me vadem darem, nunquam hoc obtinuisse vel obtinere aliquando fore; induci me quoque paterer, ut crederem, si qui ab inoculatione recidivas patiantur, horum variolas mitiores fore & minus effrenas; sed malo hic experientiam respondere quam rationes. Ut vero illa non fallax vel anceps esset, negotium inoculationis committendum esset Viris usu probatis & in arte Medica satis peritis, ut hi Ephemerides conficiant, has cum aliarum gentium commentariis conferant, axiomata forment, & communi

Conclusio.

D

communi

communi manu communem mortalibus morbum, ipsam pestem suâ frequentia & vario genio superantem, opprimere curæ sibi habeant. Nec enim non illa salus, quæ jamdum ab Inoculatione tot hominibus evenit, spondet, majorem adhuc sperari posse, si solida ratio & experientia fida mutuo suo amplexu illam fovere ac alere noverint. Majus adhuc pondus accederet ab Authoritate & præsidio Principum, si quando ex horum mandato Viris ad methodum Inoculationis excolendam probis negotium committeretur, in subjectis teneris illam exercendi, & effectus æque ac eventus notatos sibi communicandi. Non majorem ego crederem difficultatem hic fore, ac quando Medici & Chirurgi pestilenciales seliguntur, queis imprimis pestis fata notare & curam gerere publico mandato committitur; quid si dixerim vel nullam difficultatem oborturam, quandoquidem à variolosus non tantum ac à peste contagium metuendum. Salus Reipublicæ, quæ in salute populi fundata est, legem hic ageret. Nec diffiteor perplacuisse supra laudati Professoris VATERI votum, quo institutionis variolosæ methodum clientelæ Regiæ Majestatis Poloniarum calido pectore commendat. Consulant ergo in medium, queis proximi salus cordi est.

TANTUM.

